

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

CXXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperitur.

CXXXV. Damnatorum vox, quod subjectum est tractationis nostræ, *πολιτικὸν* est, neque uno ubique modo accipitur. Nam primò, cum quis vel in civili societate ab eo, qui majestate gaudet, sive ad pecuniariam multam, sive ad pœnam corporis: vel in Ecclesiæ cœtu, à DEO, aut eo, qui DEI vices gerit, damnari possit, ultrò patet, damnationem vel civilem esse, vel Ecclesiasticam. Sic Cicero Oratione in Verrem: *Nevius injuriarum damnatus est.* Epist. ad Attic. *Lepidus positis armis de vi damnatus est.* Pro Flacco: *Nicomedes & furti & pro socio damnatus est.* Amosus Propheta, c. II. 8. *Vinum* *οἶνον*, juxta Vulgatam: *damnatorum bibebant in domo DEI sui*, hoc est, interprete Imm. Tremellio: *de spoliis eorum, qui iniuste damnati fuerunt, epulum Diis suis faciunt, palamque inter se convivantur.* Latro alter ad latus crucifixi Christi ad alterum: Lucae XXIII. 40. *Neque tu times DEUM, quod in τῷ αὐτοῦ κέλευματι, in eadem damnatione es.* Syrus: *Qui etiam in ipso es judicio; Tremellius: hebraicus est: in eadem es condemnatione.* Sed de præsentî damnatione, deque hunc in modum damnatis controversiam hic & sermonem nobis nullum esse, omnes dubio procul, nobis etiam non momentibus, facile animadvertunt.

CXXXVI. Qui verò in Ecclesiâ damnantur, illi Divinum judicium super commissa à sese peccata subeunt, pœnisque peccato debitâ addicuntur. Judicis hic *αὐτοκράτορα* officium sustinet severissimum justissimumque Numen, quod sententiam suam, immediato Spiritus sui ductu dictatam, scriptoque infallibili comprehensam, quandoque hominum ministerio dici evulgarique curat, quandoque dicit & profert ipsum. Lex à DEO sancta hæc est: *quicumque non facit omnia legis, est maledictus.* Deuteron. XXVII. 26. Et: *quisquis non crediderit, damnabitur.* Marc. XVI. 16. Damnatus igitur lege omnis is est, qui peccat, quique non credit. Quâ tamen in duplici damnationis causâ hoc est differentiæ, quod omne quidem peccatum damnationis meritum, sola autem infidelitas actum damnationis conciliet. Ex quo & ipsa damnatorum vox hoc discrimen trahit, ut aliquando eos notet, qui obli-

gatione quidem ex merito peccati ad pœnam condemnationis tenentur, ab actuali tamen pœnæ perpeſſione per fidem, vel certè à neceſſitate pœnas perpetiendi per Chriſti meritum ſunt liberati; quo ſenſu omnes poſt lapſum homines damnati ſunt, quia *per unius caſum una damnatio in omnes* tranſiit, Rom. V. 18. aliquando verò eos, qui ob infidelitatem actu ad damnationis pœnam tenentur conſtricti. *Qui non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomen Filii DEI, unigeniti.* Joh. III. 18. Quam differentiam in Enchiridio inſinuat Auguſtinus, c. LI. inquit: *Veruntamen quod paulò poſt dicit: ſicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem: ita & per unius juſtitiam in omnes homines ad juſtificationem vita: ſatis indicat, ex Adam neminem natum niſi damnatione teneri: & neminem niſi in Chriſto renatum à damnatione liberari.* Porro actualis hujus damnationis ſententiam in incredulos & contumaces vel univerſa fert Eccleſia, in juſto legitimoque Concilio congregata, quemadmodum ita damnati ſunt Arius, Neſtorius, Eutycheſ & infiniti alii, cujus ſolennis formula eſt: *anathema! anathema!* vel ordinarii Eccleſiæ miniſtri, quibus mandatum eſt, errores pariter atque pertinaciter errantes reſellere, & quæ damnatio, niſi reſipiſcant, ipſos maneat, ante oculos mentis adducere; vel denique propria cujuſlibet errantis conſcientia, quæ quemlibet damnationis ſuæ convincit; quo ſenſu Paulus hæreticos vocat *ἀνομιμαίους*, Tit. III. 11. *Vulg. proprio judicio condemnatos.* Atqui de his omnibus ſinguliſque hunc in modum & in præſenti ſeculo ab hominibus quidem, ſed tamen ad legis Divinæ regulam condemnatis, nulla nobis quæſtio eſt, nulla diſquiſitio.

CXXXVII. Succedet verò damnationi ob incredulitatem in hac vita latae, alia longè gravior in alterâ, cujus ſententia decretoria & irrevocabilis ex ipſo Divinæ majeſtatis ore prodibit. Sed & hæc duplex eſt: una in animam, quam primum ex infelici corpore fugit indignata ſub umbras, in judicio DEI particulari, altera in hominem integrum, ubi conſociata denuò per reſurrectionem fuerit corpori anima, in judicio extremi diei univerſali ſtringetur. Quamquam enim non deſint magna in veteri Eccleſia nomina, inque recentiori ætate viri ſine controverſâ doctiſſimi, qui deſunctorum animas citra diſcrimen omnes, ſive bonas ſive